ORATIO

DE

ANTIQUARUM LITERARUM DOCTRINA

CUM

PHILOSOPHIA CONJUNGENDA.



ORATIO

DE

ANTIQUARUM LITERARUM DOCTRINA

CUM

PHILOSOPHIA CONJUNGENDA.

ORATIO

DE

ANTIQUARUM LITERARUM DOCTRINA

CUM

PHILOSOPHIA CONJUNGENDA,

QUAM HABUIT

SIMON KARSTEN,


A. D. VII MAJI, A. MDCCCXL,

QUUM IN

ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

LITERARUM HUMANIORUM ET PHILOSOPHIAE THEORETICAE
PROFESSIONEM

SOLENNI RITU AUSPICARETUR.



AMSTELODAMI,
SUMTIBUS JOHANNIS MÜLLER.

1840.

TYPIS C. A. SPIN.

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI! QUI HIS AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

ARTIUM ET DOCTRINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI! LECTORES ERUDITISSIMI!

QUI AD HANC SOLENNITATEM CONVENISTIS, CIVES DIGNITATE, AUCTORITATE, MERITIS CONSPICUI, VIRI HONORATISSIMI!

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES, ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES, VIRI DOCTISSIMI, CONSULTISSIMI!

ACADEMIAE HUJUS ALUMNI, COMMILITONES OPTATISSIMI!

Si omnes qui in augustum hunc locum primo escendunt, quamvis ingenio et eruditione excellentes, tamen tacita se sollicitudine commoveri sentiunt, quo me tandem animo esse creditis, quem non solum illustris haec amplissimorum virorum corona et le-

ctissimae juventutis coetus, non solum delati mihi muneris magnitudo meaeque doctrinae tenuitas perturbant, sed etiam praeteritorum casuum praesens adhuc memoria adeo percellit, ut, nisi omnes nervos intenderem, facile me oratio deficeret. Cur vero tristi recordatione solennem hunc diem auspicor? Cur non potius laeta grati animi significatione recentem luctum diluo? Vellem equidem tacere, A. A. nec dolorem istum vobis renovare, nisi et meus me animus acrius urgeret et vestra omnium ora manifesto significarent, quid sentiatis. Lugubris sensus omnes adhuc occupatos tenet; inhaerent in mentibus vestris imagines defunctorum, nuper hoc ipso in loco eloquenti clar. collegae voce defletae; praesertim vero reviviscit et mihi et vobis hac hora Heusdii imago tamque acre sui renovat desiderium, ut nec ego sine horrore quodam in hunc suggestum adscendere, nec vos, quamvis mihi faventes, sine justo tamen dolore prodeuntem me cernere potueritis. Quum me videlicet adspicitis, requiritis vultum illius, quem in oculis et pectoribus gerebatis; quum me auditis, exspectatis vocem illius, a cujus labiis pendere soliti eratis; quum me hic collocatum cernitis, desideratis lumen et famam illius, quo haec Academia, quo

patria nostra tamquam singulari ornamento gloriabatur. Si hic merito vester est sensus, A. A. quomodo me affectum esse putatis, quem et amissi doctoris desiderium adhuc sollicitat, et ejusdem ingenii doctrinaeque excellentia suo splendore percellit?

Equidem ut semper meae mihi mediocritatis optime conscius fui, ita numquam acrius eam sensi quam hocce die, quo coram illustri hac corona ad gravissimum munus auspicandum aggredior; cujus jampridem ipse nuntius ita me commovit, ut aequalem fere e mandati mihi muneris gravitate sollicitudinem atque e collati honoris amplitudine laetitiam ceperim. Quid enim? Agi sentiebam decus hujus Academiae hujusque cathedrae et olim clarissimorum virorum doctrina illustratae et nuper insigni luce orbatae; agi commoda ornatissimae juventutis in patriae praesidium succrescentis; agi avitam nostram doctrinae et literarum laudem, etiam apud exteros nobilitatam; agi denique meam qualemcumque existimationem, quovis honore mihi cariorem, quam si in minore negotio tueri mihi contigit, eandem ut majore in opere integram servem, merito pertimescam. Haec igitur, quae vel singula commovere aliquem valeant, quantopere me cuncta pertur-

bare debent, me dico, quem nec natura ditiore ingenii vena ornavit, nec, si quid in me fuit industriae, id omne ad doctrinae studia conferre temporum meorum ratio sivit. Non dico hoc, A. A. ut blanda modestiae specie nescio quid ambitionis occultem; ab ista levitate alienum me reddiderunt Socraticae scholae praecepta; sed animus cogit me talem indicare, qualis sum, ne quis forsitan opinione aliqua deceptus olim queratur, minus me praestare quam sperari a me aut postulari potuisset. Quodsi igitur aliquis quaerat, qua facultate quove praesidio fretus huc accesserim, respondebo verecunde et tamen audacter: fretus Illustrium hujus Academiae Curatorum suffragiis et Augusti Regis decreto, qui me nec sperantem nec optantem hoc honore decorandum censuerunt; fretus Clarissimorum doctorum assensione, quorum auxilium et consilium ut olim discipulo mihi saepe profuit, ita porro collegae non defuturum certo scio; fretus denique meo literarum amore, quarum delicias semper omnibus vitae suavitatibus anteposui; quarum laudem quovis honore potiorem duxi, quarum fructum denique ad omnem ingenii animique cultum semper putavi esse uberrimum. Harum ardorem, quod grata mente recordor, in me puero suscitavit, adolescente aluit, et

per omnem vitam confirmavit praeter alios ille, cui nuper suffectus sum; cujus si institutio mihi haud levi commendationi fuit, ejusdem exemplum mihi erit stimulo, ut, si minus praestantiam illius assequi, vestigia tamen sequi summa ope enitar.

Sed longo vos prooemio moror, A. A. dum me auspicandi muneris gravitas sollicitum tenet. Illud igitur a vobis precor, ut talem me accipiatis, qualem me vobis offero, non tam doctum quam doctrinae amantem; quo amore si velitis esse contenti, lubentius jam aggrediar ad officium, lege et more majorum mihi impositum; exsequendum. Ac nihil quidem tractatu jucundius hac hora mihi fuisset, quam ut dilecti magistri memoriam vobiscum recolerem ejusque propriam antiquitatis interpretandae rationem explicarem, nisi veritus essem, ne aut diserte ab aliis dicta repetere, aut, quae a pio defuncti cognato plenius disserentur, occupare velle viderer. Jam vero reputanti, cui doctrinarum Facultati adscriptus, quas docendi partes nactus, in cujus denique locum suffectus sim, e re ipsa mihi nata est dicendi materies, quam vobis probatum iri confido. Dicere statui *de antiquitatis et literarum doctrina cum philosophia conjungenda.* Qua oratione effecturum me spero, ut,

et quid ille in tractandis literis maxime secutus sit et quid mihi sequendum ducam, appareat. De hoc igitur argumento dum populariter disserere paro, rogo vos, A. A. ut benignis animis me prosequamini, et si quid ad orationis meae ubertatem desit, id benivolentia vestra compenset.

Jure ab antiquis parens omnium artium dicta est philosophia, quippe quae et cunctas cognationis vinculo inter se contineat et singulas quasi spiritu suo perfundat et augeat. Perlustrate animis, A. A. omnem liberalis doctrinae campum; ullamne inveniatis disciplinam, quae non philosophiae veluti stirpe nitatur ejusque succo alatur et vigeat? Quodsi reliquae disciplinae, theologia, physica, historia, jurisprudentia, ab illa robur et incrementum accipiunt, num literarum et antiquitatis cognitionem, philologiam dico, a philosophiae communione sejunctam putemus? Immo vero nulla est, mea opinione, arctior necessitudo quam quae inter ambas has disciplinas intercedit. Sit sane, quis neget? sit sua utrique materies, ratio, via: altera in indagandis rebus a sensu remotis, altera in literarum artiumque monumentis tractandis versetur; altera nullis fere rerum

terminis circumscripta sit, altera antiquitatis spatiis terminata: in hac tamen diversitate quanta sit utriusque convenientia, attendite! Quis illustrior est in philosophia locus, quam qui in explicanda hominum natura, ingenii viribus, studiis sensibusque versatur? Ubi vero clariora reperias humanae naturae vestigia quam in vetustatis monumentis, quibus sicut in amplo theatro spectanda proponuntur illustria hominum, populorum nationumque exempla, in quibus omnis ingeniorum et animorum vis ac natura expressa cernitur? Ergo ut philosophus, in exploranda humana natura, ab antiquitate ducet clarissimam humanitatis effigiem, sic philologus vicissim, in illustrandis antiquorum operibus, mentis lumen mutuabitur a philosophia. Quis porro nescit, quam late per veterum, praesertim Graecorum, literas pateat ars illa, cujus ut nomen sic studium ab illis inventum et felicissime excultum est? Quam pleni sunt poëtae, pleni historici, pleni oratores sententiarum et praeceptorum, quae ex interiore humani ingenii cognitione expressa sunt! Quid? quod in literis censentur quoque antiquorum scripta philosophorum, ut Platonis, Aristotelis aliorumque, aequali fere studio ab utriusque disciplinae cultori-

bus expetita, quae ut legentes sponte ad philosophandum invitant, sic iidem uberrimi semper erunt fontes, e quibus recta et integra judicandi ac disserendi ratio hauriatur. Si vero fructus attendamus, A. A. ex utraque doctrina percipiendos, ullamne inveniamus artem aut disciplinam, quae efficacior sit ad judicium acuendum, ingenium ornandum, pectus fingendum quam literatura? Haec animum e vulgari vitae consuetudine transfert in praeteritorum seculorum memoriam, a quotidiano tumultu avocat ad placidam vetustatis contemplationem, eâque contemplatione ad pulcri honestique sensum et amorem acuit et format. Jam vero nonne similem fere fructum dissimili ratione philosophia sui cultoribus ostendit, unde illa ἡ μεγίστη παιδεία a veteribus dicta atque habita est?

Si tanta est utriusque disciplinae inter se affinitas, quis non agnoscit, alteram alteri auxilio esse, et philologiam cum philosophia optime copulari? Philosophiam autem dico non eam, quae tota in abstrusis et obscuris argumentationibus versatur, aut res apertas et illustres subtili et spinosa oratione involvit; quam etsi non sperno, miror potius, tamen literarum doctrinae minus consentaneam exi-

stimo; philosophiam dico eam, quae, manifestis ingrediens vestigiis, hominum ac populorum studia moresque indagat, ingeniorum motus mutationesque anquirit, veri, pulcri honestique formas claris notionibus effingit. Talis philosophia antiquitatis cultoribus commendanda est, eoque magis, quod maximam partem e veterum praeceptis et disputationibus duci potest. Hac magistra et duce Graeca et Latina exemplaria versantes et tractantes, penitus in antiquitatis sensum ac mentem insinuare se discant.

Non vereor, A. A. ne id quod dixi vestrum plerisque mirum videatur, vobis quidem minime, qui Heusdianam disciplinam aemulati quique instituti estis in hac Academia, ubi nec philosophia literarum lumen nec literatura philosophiae adjumentum requirit, sed altera alteram mutua caritate amplectitur. Veruntamen haud me fugit, multos fuisse qui aliter judicarent, qui philologo nudam antiquitatis et literarum scientiam, grammatices et critices facultatem tribuerent, subtiliorem vero mentis indagationem aut ut inanem rem spernerent aut philosophis relinquendam putarent. Quid, quod patronos huic sententiae afferant excellentes ingenio et doctrina criticos, qui philosophiae expertes fuere aut

certe haberi voluerunt; afferant lites et dissidia diu inter utriusque disciplinae aemulos agitata, tantâ contentione, ut paene bellum indixisse sibi viderentur. Sed, ne quaeram, num ipsarum artium an hominum potius fuerint ista dissidia, possum his opponere locupletes sane auctores, tam veteres quam recentiores, e quibus sufficiat duos nostratium nominasse multorum instar habendos, Hemsterhusium et Wyttenbachium, quorum hic utramque disciplinam pari fere amore amplexus est, ille publice aliquando est professus, remoto philosophiae studio praecipuum literaturae decus et adjumentum tolli. Quid vero? dicat aliquis: num igitur laudibus suis spoliandi ii literatores qui sine illa scientia claritatem adepti sunt? Immo fatendum, diu literarum et antiquitatis doctrinam a philosophia sejunctam floruisse et laetos tulisse fructus; fatendum, egregios exstitisse philologos, antiquarios, criticos, qui sine illa doctrina humanitatis studia egregie promoverint debitisque semper laudibus celebrandi sint; et tamen tenendum, non nisi adhibita philosophiae luce perveniri posse ad illud fastigium, quo nostra aetas contendit. Nam ut plerarumque majorum disciplinarum, sic philologiae quoque ea est amplitudo,

ea partium varietas, ut et in singulis elaborare atque excellere laudabile sit, et totius vis non nisi gradatim multiplici studio et conjunctâ multorum industriâ perspici et illustrari queat. Hinc pro temporum et ingeniorum varietate variae fuerunt literarum tractandarum rationes, quarum singulae, licet imperfectae, suis tamen laudibus praestarent, et prior quaeque sequenti praelucens conferret ad antiquitatis imaginem plenius clariusque perspiciendam. Agite, AA. sinite me, quoniam ipsum rei argumentum ad hoc invitat, id paullo explicatius exponere et literaturae cursum ac progressionem strictim describere.

A quo tempore humanitatis studia e barbariae tenebris emergere et ingenia e diuturno torpore excitari coeperunt, homines incredibili flagrantes discendi ardore quum omnem fere antiquitatis vim et amplitudinem complecti studerent, tum praecipue admirati sunt illum formae nitorem, illam orationis ubertatem et elegantiam, qua veterum scripta ab agresti suorum temporum sermone immensum quantum distabant. Itaque eruditiores in id maxime incumbebant, ut volutandis antiquis scriptoribus et poëtis cum rerum humanarum prudentiam,

tum praesertim sermonis facundiam sibi compararent, antiquae eloquentiae succum et colorem imbiberent, ad veterum similitudinem vocem suam formarent. Hoc studium ut laudabile, sic rei naturae plane erat conveniens. Quid enim? An mirandum est, sicut in primordiis humani generis omnium artium prima effloruerat lingua et oratio, ita, renascentibus humanitatis studiis, imprimis linguae facultatem ornatam fuisse et excultam? Quid autem pulcrius et liberali homine dignius oratione facunda et limata? Hi igitur antiquos, Latinos praesertim, tractabant potissimum ut cogitandi dicendique magistros, observabant eorum praecepta, attendebant diligenter eorum formam et speciem, ediscebant sedulo grammaticen, rhetoricen, poëticen, eo consilio, ut ipsi illorum similes redderentur. Eo quisque doctior et cultior habebatur, quo plenius vel ligatâ vel solutâ oratione ipsos veteres referret.

Interim recentiores literae paullatim excoli coeptae, quarum aucto honore, veteris Latii lingua e publica luce in palaestrae umbram se recipiens non illa quidem elanguit, sed tamen sermonis cura cessit quodammodo rerum scientiae. Nam quum intelligerent, quam variâ et multiplici ad interpretanda

veterum scripta opus esset doctrinae copiâ, itemque agnoscerent, quam largi ex antiquitate manarent fontes ad graviores quasque disciplinas irrigandas, philologi omnem navarunt operam, ut ex abditis vetustatis thesauris copias proferrent, quae vel ad interpretanda veterum monumenta vel ad omnem liberalem doctrinam promovendam valerent. Et quis ignorat, AA. quantum haec industria contulerit ad omnes antiquitatis partes, omnem temporum memoriam, omnia literarum genera illustranda? Quis nescit, quantum lucis hoc studium gravissimis disciplinis, theologiae, jurisprudentiae, medicinae affuderit? Sic igitur philologia facta est **πολυμάθεια,** non solum antiquitatis interpres, sed omnium disciplinarum adjutrix; exstiterunt *πολυΐστορες* illi, quorum ponderosa volumina immensam eorum doctrinae vim per omnia secula testabuntur. Sed tamen in magna illa copia desiderabatur interdum justus ordo partiumque descriptio, desiderabatur judicii et rationis lumen, desiderabatur quasi spiritus molem animans. Quid multa? requirebatur ars aliqua aut facultas, quae materiem istam digereret, poliret, fingeret, exornaret.

Jam in lucem prodiit Critice, quae ingenii et ju-

dicii facultate valens omnique eruditionis copiâ instructa, deinceps principatum in philologia obtinuit; a qua literatorum coryphaei criticos potissimum se nominari voluerunt. Ab his fines literarum melius descripti, earum tractandi via et ratio clarius demonstrata, novus denique apertus est studiorum campus. Antiquitatis doctrinam voluerunt esse non rhetorices palaestram, non multiplicis scientiae officinam, sed antistitem humanitatis. Classicos scriptores non aliam potissimum ob caussam tractandos duxere, nisi ab suam ingenii artisque praestantiam, et optimum quemque maxime; Graecos vulgo neglectos aut parum cultos in dignitatem suam restituerunt; praeter poëtas, historicos, rhetores, etiam philosophos, qui diu e scholis exsulaverant, in jus suum revocarunt et merito honore coluerunt. Hinc illa Platonis ingenio lux affulsit, quae deinceps magis magisque claruit. Ad veteres autem plane intelligendos verumque ex iis percipiendum eruditionis fructum adhibuerunt illam, quam dixi, criticam facultatem, tanquam veri pulchrique arbitram. Hac adjuti id praesertim spectarunt, ut antiquitatis monumenta purgarent et expolirent; quidquid vitii temporum labe contraxis-

sent, eluerent; quidquid fraudis in scriptorum nomina aut testimoniorum fidem irrepsisset, arguerent et confutarent; denique ut antiquitatis exempla pristino nitori reddita clarâ aliquando in luce collocarentur. Egregia sane ars, AA. meritoque a cultoribus suis artium liberalium regina praedicata. Quis non agnoscit, quantum haec vel ad acuenda ingenia vel ad poliendas literas, ad explorandam vetustatis fidem, ad aperiendos reconditos doctrinae recessus, denique ad omnem liberalium doctrinarum rationem regendam valuerit? Quis item non animadvertit, quam accommodata eadem illa ars fuerit ei aetati, quae velut ad judicandi maturitatem perducta, omnis doctrinae rerumque omnium principia et rationes inquirere et explorare instituit, ipsamque tandem peperit philosophiam illam, quae criticae nomine celebrata et per omnes scholas pervagata est.

Percurrimus breviter AA. literaturae spatia, gradusque indicavimus, quibus paullatim progressa est ad eum fere finem, ad quem patres nostri perduxerunt. Quodsi fortasse illud graduum discrimen minus manifestum aut probabile alicui videatur, quia ex. gr. critica ars, quam postremo loco me-

moravi, jam a primis temporibus exstiterit, aut quia Latini sermonis studium per omnes aetates pariter cultum sit, fateor equidem varias illas rationes numquam ita fuisse a se invicem separatas, ut temporum intervallis essent disclusae; sed tamen hoc mihi concessum iri puto, earum unamquamque suo tempore maxime valuisse et quasi principatum inter reliquas esse adeptam. Utut est, agnoscatis certe, uti ceteras artes et disciplinas, ita hanc quoque paullatim processisse et una cum aetatibus crevisse. Quid igitur? In superiorum progressibus acquiescendum putemus? vel potius: credamus doctrinae studia ab illis ad eum perfectionis gradum adducta esse, ut in illorum vestigio nobis consistendum sit, nec ultra progrediendum? Neminem vestrum esse scio, AA. qui ita existimet, sed potius enitendum censeat, ut patrum progressus nostra industria extendamus, nobisque gloriari quodammodo liceat Homericum illud:

ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι.

Etenim fateamur, multa illos et praeclara praestitisse, admiremur et aemulemur eorum ingenium, studium, eruditionem; attamen reputantes, quid ipsa doctrinae ratio postulet, aut quid aequalium nostro-

rum eruditissimi sequantur, existimabimus profecto, superioribus aliquid defuisse quod nostra aetas requirit. Pulcra enim sint illa meritoque laudanda, Latini et Graeci sermonis facultas, multiplex rerum scientia, judicii acumen: pertinent haec omnia ad antiquitatis doctrinam et literarum eruditionem, neque tamen continent omnino id quod philologia maxime spectat. Quale illud est? Quid aliud censetis, AA. nisi quod ipsa humanitatis vox, quae his studiis eximie semper indita est, velut tacite significat? Videlicet, ut tractandis veterum scriptis et monumentis cognoscamus hominem, hoc est, ingenium humanum, tam literarum et artium quam rerum gestarum et institutorum documentis adumbratum; cognoscamus ingenium antiquitatis, id est, ejus partis humani generis, quae eruditione et humanitate omnibus sequentibus seculis praeluxit; hujus voluntatem ac mentem per varia monumenta sparsam effingamus et clara imagine nobis repraesentemus. Hoc est, opinor, illud, quod antiquitatis et literarum doctrina potissimum spectat. Ad quod assequendum conducunt sane eae viae quas superiores inierunt, nobisque item tenendae sunt. Colenda veterum linguarum scientia et facultas, non solum quod ad an-

tiquorum scripta intelligenda necessaria est aut ad orationis elegantiam decora, sed etiam quod propius nos cum veteribus conjungit et cum ipsis quasi loquentes facit; quaerenda multiplex rerum et literarum cognitio, quae ex omni vetustatis memoria copias suppeditet ad doctrinarum, artium, institutorum origines et incrementa declaranda; exercenda critice, quae cum ingenii sagacitatem acuit, tum vetera exemplaria expolit et sicut ars agricolarum doctrinae segetem spinis et lolio purgat, quo laetius ea florescat. Cum his vero conjungatur ea quam dixi, philosophia, quae a prioribus non quidem neglecta, attamen nostra aetate arctius cum philologia conjungi coepta est. Hujus officium in eo praesertim positum, ut diversas rerum partes in unam speciem conformet, singulorum rationes caussasque et vim per totum pertinentem indaget, humanum ingenium et mentem antiquitatis anquirat, ejus opportunitates, motus, processus attendat tanquam principia, e quibus maximarum rerum explicatio ducatur. Amplitudo rei et gravitas postulare videtur, AA. ut, vobis approbantibus, paullo accuratius haec disseram.

Philologia varias complectitur partes, velut cogni-

tionem linguarum, antiquitatum, literarum et artium, historiam populorum et rerum gestarum; quas partes, etsi argumento distinctas, arcte tamen inter se cohaerere, nemo non animadvertat. Etenim linguas, mores, religiones, artes, gesta institutaque, etsi res inter se dissimiles, similem tamen referre indolem et colorem, earum aliam ab aliâ illustrari, cunctas inter se conspirare et interiore vinculo contineri, quis non videt? Quodnam est illud vinculum? Mens et ingenium, AA. qui fons est, unde cuncta illa oriuntur, et parens communis, cujus effigies cunctis clarius vel obscurius est impressa. Ab ingeniorum varietate efficitur varia linguarum, morum studiorumque forma et indoles, eademque cum ingeniorum motibus et conversionibus mutantur ac variantur. Num igitur in tanta illa diversitate mutuam cognationem cernere, num interiorem vim harmoniae instar per diversas partes diffusam percipere, totam antiquitatis materiem animo complecti ejusque velut imaginem effingere aliquis queat, nisi principium, a quo illa manarunt, ingenium dico et mentem cujusque populi, anquirat, hujusque vestigia moribus, studiis, monumentis expressa persequatur? Ad hoc autem assequendum nonne

humanae naturae cognitio et philosophia adhibenda est? Quod si de tota disciplina valet, idem de singulis partibus licet affirmare, quarum nulla illius luce prorsus potest carere. Latus foret disserendi campus, AA. si de earum unaquaque id singulatim vellem ostendere, meritoque mihi esset verendum, ne citius me aures vestrae quam materiae copia deficeret. Satis me et rei argumento et vestro studio facturum puto, si nonnulla capita carptim perstringam.

Praecipuum in literatura locum obtinet grammatice; et merito: haec enim non solum est unicum veterum scriptorum intelligendi instrumentum, sed eadem est tanquam janua, qua ad interiorem antiquitatis sensum mentemque aditus panditur. Vere enim ab antiquis sermo dictus est imago mentis, cujus omnis vis et facultas multiplici vocabulorum, formarum, dictionisque varietate exprimitur. Quaecumque homines et quo quidque modo sentiunt et cogitant, ea verborum signis notata sunt, et ut quisque populus acutiore sensu et cogitatione valet, ita ipsius lingua varietate, copia, elegantia, perspicuitate excellit. Hinc quanta gentium et populorum, tanta quoque est linguarum et dialectorum dissimilitudo,

quarum singulae populi cujusque indolem et cultum sive clarius sive obscurius ostendunt. Praecipue vero hoc valet de linguis antiquis et classicis, quae quo magis ab exterarum gentium consuetudine immunes se servarunt, quo integrius suam propriamque figuram et habitum retinuerunt et excoluerunt, eo luculentius naturae ingeniique effigiem repraesentant. Et quis ignorat, in innumera linguarum multitudine, quae vel adhuc vigent vel e vetustatis ruderibus prolatae sunt, linguam Graecam naturali ubertate, varietate, cultu, e communi peritorum judicio, unam omnibus longe praestare? Numquis ergo dubitet, quin grammatices studium non modo ad scriptores Graecos et Latinos intelligendos, sed etiam ad ingenii humani cognitionem fructuosissimum sit habendum? Ad hunc autem fructum percipiendum, ad veterum linguarum vim penitus intelligendam earumque dotes recte aestimandas, haud profecto sufficere putemus, si quis verborum formas et loquendi modos edidicerit, vocabulorum origines et significationes memoria teneat; requiritur item, ut linguae principia noscat, variarum partium, formarum regularumque rationes exploret, mutuum earum concentum proportionemque et ordinem per

ista omnia pertinentem attendat, proprium sermonis characterem e variis collectum indiciis effingat. Horum autem explicatio nonne ab humano ingenio, rationis legibus, animi notionibus, studiis, sensibus petenda est? Hinc multiplex illa verborum formae, significationis et structurae varietas, hinc admirabilis illa partium in summa varietate concentus, hinc propria cujusque linguae figura et species, hinc progressus ejus mutationesque explicanda sunt. Ad haec igitur percipienda quis non fateatur requiri non solum distinguendi subtilitatem et judicandi diligentiam, sed etiam philosophiam, quae e verborum signis animi notiones eruat atque e dispersis vestigiis totius rei imaginem conformet?

Venio ad alteram literaturae partem, quae dignitate facile prima est censenda, scriptorum interpretationem, quo tanquam fundamento omnis paene antiquitatis et literarum scientia nititur. Interpretationis officium in eo cernitur, ut scriptoris cujusque verba et sententias ex ipsius voluntate explicet ejusque ingenium et eruditionem clara luce collustret: quod munus quam late pateat et quantum studii postulet, nemo non animadvertat. Pertinet illud videlicet ad varios aetate et genere scriptores, poëtas, hi-

storicos, philosophos, oratores, quorum plerique non solum in diversis generibus, sed in eodem quoque genere multum inter se differunt. Quanta est dissimilitudo inter Aeschylum et Sophoclem, Herodotum et Thucydidem, Isocratem et Demosthenem, Aristotelem et Platonem; quae scriptorum paria etsi studiorum genere et aetate fere conveniunt, tamen quanto ingeniorum, tanto orationis et formae discrimine a se invicem distant. Nimirum verum est illud a veteribus dictum, itemque recentioribus tritum: *οἷος ὁ τρόπος, τοιοῦτος καὶ ὁ λόγος, qualis indoles, talis oratio!* Quod si universe valet, eximie sane convenit in classicos illos veteres, qui multo magis quam recentiorum plerique remoti sunt ab inani verborum tumore, affectato acumine aut gravitate, quique non quaesitâ quadam specie et fucato nitore, sed simplici munditia et naturali decore res et cogitata sua exornant. Quamobrem omnibus illa seculis exempla erunt, digna quae diurnâ nocturnâque manu versentur, quaeque, quid verum rectum et pulcrum sit, clarissimis documentis commonstrant. Ad veteres igitur illos plane intelligendos eorumque ingenium et artem perspiciendam opus est, non solum singula verba et sententias e communi linguae usu interpretere, sed proprium scri-

ptoris cujusque colorem propriasque dotes declares, mentem ipsius atque indolem verbis significatam aperias. Neque oratio solum attendenda, sed argumentum cujusque operis et ordo explicandus, forma ejus et species demonstranda, scriptoris ars et facultas tam in toto quam singulis in partibus conspicua, explananda. Ad haec igitur assequenda, nonne palam est, praeter linguarum et antiquitatis scientiam etiam mentis contemplationem requiri? Num, quid verum et pulcrum sit, ratione judicare aliquis queat, nisi istorum notiones mente informatas habeat, ad quas judicium dirigat? Num ex. gr. Sophocleae tragoediae vel Platonici dialogi artificium et praestantiam recte aestimare quis possit, nisi totius formam animo comprehenderit et speciem aliquam effinxerit, ad quam illa referat? Num oratoris vim et indolem perspicere, sentiendi dicendique figuram exprimere, nisi in animi naturam, mores, studia introspexerit? Num denique philosophi sententias, rationes, placita penitus intelligere, horum principia progressionesque persequi, summam animo complecti valeat, nisi cogitationem suam reconditarum rerum meditatione assuefecerit? Fatendum igitur, recte Quinctilianum existimasse, quum a

grammatico etiam philosophiae cognitionem postularet.

Dixi de cognitione linguarum et scriptorum interpretatione. Quodsi consideremus, AA. religiones, artes, instituta, res gestas, quid? num horum explicatio philosophiae lumine possit carere? Ne de reliquis memorem, historia, si ab illa sejungatur, videte ne decore suo spolietur et ad nudam factorum narrationem annaliumque exilitatem redigatur. Si erit historia, ut omnium consensu praedicatur, lux vetustatis, quae rerum publicarum regnorumque origines, incrementa, fata declaret et ingeniorum progressiones conversionesque proponat; si erit magistra vitae, quae actorum consilia eventorumque caussas explicet, clarorum hominum mores, virtutes, vitia adumbret; si erit divinae interpres providentiae, quae in seculorum consummatione summi Moderatoris ductum et admirabilem ordinem commonstret: hanc muneris amplitudinem si historia sustinebit, quis non agnoscat, eam a philosophia, quae est rerum divinarum humanarumque scientia, sejungi non posse? Quod si de historia liquet, de reliquis doctrinae partibus, mythologia, antiquitatibus, literarum artiumque notitia, obscurum esse

nequit, quippe quae omnes cum rerum publicarum, populorum, ingeniorumque ratione et indole arcte cohaereant. An putemus, priscorum de re divina et naturali notiones, civitatum mores et leges, artium doctrinarumque initia et processus cognosci et intelligi posse, nisi quis hominum naturam, ingenium moresque inspexerit, unde illa sunt profecta? Quocirca omnis illarum rerum scientia, si a sapientia sejungatur, sit sane utile ac necessarium interpretandi instrumentum, sit jucundum otii oblectamentum, at severioris studii opus haberi doctrinaeque nomen tueri haud facile poterit.

Sed quid plura disseram? Ante oculos vobis proponite exemplum Heusdii, qui hanc disciplinae viam, quam laudo, luculenter nobis monstravit suaque auctoritate in hac Academia commendavit. Ille et in interpretandis veterum scriptis et in enarrandis antiquitatis institutis, artibus, doctrinis, et in tradenda gentium historia maxime semper attendere solebat naturam humanam, sive scriptoris cujusque ingenium, sensum, facultatem nobis aperiret, seu artium et institutorum principia rationesque indagaret, seu populorum indolem, mores, studia, ipsorum linguis,

monumentis factisque consignata, explicaret. Meministis, multi certe vestrum meminerunt, quam eleganter, quam lucide nobis adolescentibus vel simplicem Homeri majestatem, vel admirabilem Sophoclis artem, vel divinam Platonis mentem, vel masculum Demosthenis spiritum e sententiis ipsorum et oratione declarare soleret. Quam incalescebat ejus animus, quantus erat vigor in oculis, voce, vultu, quum in Graecorum vita rebusque juvenilis ingenii vim ostenderet, hujusque effigiem in eorum factis, institutis, studiis moribusque conspiciendam proponeret! Quantum in verbis ejus lumen, quanta ubertas, quum, in exponendis populorum fatis et temporum conversionibus, humani generis progressionem ordinemque divinitus constitutum adumbraret! Nonne incendi nos et ad optima studia rapi sentiebamus, quum ab illius ore pendentes exciperemus vocem illam, quae tanquam salubri fonte ingenia animosque irrigabat! Vos, qui Heusdium doctorem nostis et dilexistis, vos profecto ex illius exemplo et ratione optime intellectum habetis, quam mirifice philologia cum philosophia consentiat, quantopere altera alterius ope vigeat, quantum denique conjuncta utriusque disciplina valeat cum ad antiquitatis et literarum scien-

tiam promovendam, tum vero etiam ad animos ingenuis artibus fingendos et excolendos.

Nam multiplex est sane, A. A. et varius doctrinae fructus, sed nescio an nullus uberior sit et jucundior quam qui ex humani ingenii vitaeque contemplatione percipiatur. Quae enim res hominem aut propius tangit aut acrius movet aut salubrius docet quam hominem nosse, quam intueri varii generis exempla, e quibus quid rectum et pulcrum, quid pravum et turpe, quid sequendum vitandumve sit, discas; quam inspicere monumenta, e quibus omnis humanitatis et eruditionis specimen, omnis decori et pulcri effigies capi possit? Atque haec humanae naturae vis nescio an nusquam clarius aut illustrius cernatur quam in ipsa antiquitate, quae, tanquam propius a naturae stirpe abesset, naturalem vigorem et integritatem castius servasse et luculentius expressisse videtur. Nam sive quis artium et doctrinarum, seu civitatum et publicarum rerum ortum, incrementa, vicissitudines, earum genera et formas, principia et caussas inquirat, haec omnia, nisi me studium fallit, illustrioribus documentis antiquitas ostendit quam recentius aevum, quo naturae

vestigia artis machinationibus ita sunt involuta, ut aegre possint discerni. Et quis neget, classica veterum scripta jure habita semper esse et habenda verae pulcritudinis et germanae eruditionis exemplaria, quorum lumen nulla umquam dies obscuratura sit? Agnosco equidem, seriores aetates multa et praeclara in quovis genere protulisse ingenia, agnosco suis illa propriisque dotibus ac virtutibus splendere; attamen, circumspicite, A. A. ubi sunt poëtae, qui ubertate, elegantia, majestate, decore, Homero, Pindaro, Sophocli praeluceant? ubi oratores, qui copia et gravitate Demosthenem aut Ciceronem vincant? ubi phisophi, qui ingenii et doctrinae amplitudine Platonem aut Aristotelem superent? Artificum imagines et statuas e vetustatis ruderibus in lucem prolatas periti judices uno consensu admirantur ut palmaria artis opera, quae imitari omnes studeant, assequi posse desperent: num minore pretio habenda sunt illa literarum monumenta, quae antiquorum vatum et sapientum ingeniis condita, haud sine divino consilio posterorum seculorum curae commendata sunt?

Haec igitur monumenta si interius intelligere, si antiquitatis sensum ac mentem percipere eâque cognitione animos nostros pascere velimus, sequenda

est ea ratio, quam et eruditissimorum hominum, in quibus Heusdii nostri, exemplum nobis monstrat et ipsa lex publica quodammodo praescribit, quae unam eandemque voluit esse *literarum humaniorum et philosophiae theoreticae Facultatem.* Hanc viam sequentes speremus ad eum nos finem perventuros, ad quem tendendum est. In quo tamen diligenter cavendum, ne in scopulum aliquem incidamus, in quo juvenes praesertim facile offendant. Cavendum dico, ne tanquam vento quodam, sic philosophandi impetu incitati, dum ad summum pervenire studemus, elementa transiliamus, aut rerum caussas sectemur prius quam res ipsas cognoverimus. Qui ita ageret, A. A. videte, ne similis foret agricolae, qui quo maturius fructus caperet, fertile semen tenui solo vel Adonidis hortulo mandaret, quo paucorum dierum spatio laete efflloresceret, mox vero marcesceret nec ullam efferret frugem. Ejusmodi ratio sit pulcra fortasse et splendida, at salutaris et fructuosa non est habenda. Quisquis solidam literarum scientiam quaerit, ei diligenter principia perdiscenda sunt: comparanda accurata rerum factorumque cognitio, exercenda sedulo grammatice et critice, quae verborum potestatem, ordinem constructionemque lu-

cide explanent, quid verum secusve dictum aut proditum sit, accurate discernant. Haec sunt doctrinae fundamenta, quae nisi sint firmiter constituta, aedificium quo altius educatur, eo citius corruat. In his philologo elaborandum eadem diligentia, qua in sua arte physici utuntur. Ut enim hi, in naturae fabrica mundique legibus cognoscendis, accurate singulas etiam minimas naturae partes scrutantur earumque vim, figuram, compositionem anquirunt; sic iis, quibus propositum est classicae antiquitatis formam et indolem contueri, in id summopere incumbendum, ut principia rerum et elementa pernoscant, bene memores, minimis rebus semina contineri et fundamenta rerum maximarum.

Haec sunt, A. A. quae de literarum tractandarum ratione dicenda habui. Videtis ex his, quid probem, quo tendam; agnoscitis Heusdianae scholae discipulum. Ne tamen exspectetis, quaeso, cum Heusdii discipulo ipsius ingenium et doctrinam vobis jam reddita esse. Ille potuit, pro ea qua fuit eruditione et solertia, omnes tam antiqui quam recentioris aevi partes mente complecti et interiorem humanitatis vim cum ipse perspicere, tum aliis explicare; me

mea mediocritas tam ardua tentare vetat, ne velut Icariis pennis altius evolans in fluctus demergar, aemulantibus damno, obtrectantibus derisui futurus. Beatum equidem me putabo, si mihi liceat tanquam in plano stanti digitum intendere ad arces quae petendae sint; si contingat, principiis liberalium artium juvenes erudire eosque imbuere illo pulcri, boni, veri amore, quo incitati ultro ad summa contendant. Hoc si pro viribus praestare enitar, et vestrae exspectationi et meo officio me satisfacturum confido.

Jam vos alloquar, Academiae Trajectinae Curatores, amplissimi illustrissimique viri, quorum suffragiis designatus et Augusto Regi commendatus sum ad hanc cathedram obtinendam. Quas ego et Principi et Vobis justas agam gratias pro tali munere, quo nihil aut honorificentius aut jucundius optare mihi unquam potuissem! Quid enim honorificentius mihi ducam quam eas artes publice tradere, quas etiam privatim colere honestum et decorum merito habeatur? Quid autem optatius esse possit, quam post varias vicissitudines reddi penatibus patriaeque in qua natus et educatus sum; reddi parenti paene octogenario, viro doct. cujus senectutem mea juventute levari

par est; reddi veteribus amicis, quibus aut praeceptoribus quondam aut collegis in hoc Gymnasio usus sum; reddi sodalibus, quibuscum adolescens joca et seria habui communia; reddi denique huic Academiae, cujus porticus, musea, bibliotheca ubique mihi adolescentiae meae oblectamenta, ubique doctorum, quorum plures, eheu, fatum absumsit, vestigia repraesentant! Tali ergo vestro in me beneficio ita me obstrictum sentio, ut nil sanctius sim habiturus quam ut Vos, nobilissimi viri, debita observantia colam, Regi Patriaeque totis viribus serviam, Academiae huic sicut almae matri debitam institutionis mercedem, quantum possim, rependam.

Vos autem, artium et doctrinarum Professores, viri clarissimi, quos jam collegas appellare mihi licet, in amicitiam me vestram, oro, recipiatis. Quid dico, recipiatis? immo recepistis me ea benivolentia, qua majorem non potueram optare, eandemque ut porro promerear, omni studio enitar. Equidem ut hanc provinciam alacris ac lubens susciperem, non leve mihi momentum fuisse fateor, quod scirem me in numerum adscitum iri talium virorum, qui novitatem meam et doctrinae tenuitatem auctoritate sua et sapientia tegerent ac sustentarent. Quod eo

facilius confidere ausus sum, quum in amplissimo vestro collegio multos agnoscerem veteri aliqua necessitudine mecum conjunctos: alios, quos natu majores jam puer novi ac veneratus sum; alios, quos in ipso studiorum curriculo aequales aut suppares habui; alios denique, quibus magistris et doctoribus in hac Academia uti mihi contigit. E quibus Tu praesertim mihi compellandus es, GOUDOEVERE, qui me adolescentem paterna fere benivolentia excepisti, consilio adjuvisti, praeceptis formasti ad accuratam illam literarum tractationem, quâ unâ verae eruditionis laus comparari possit. Tu item, SCHROEDERE, e cujus saluberrimis disputationibus amorem hausi ejus philosophiae, quae non minus excultrix ingeniorum quam vitiorum expultrix merito praedicetur. Pergite et vos et reliqui omnes mihi favere vestraque doctrina praelucere, persuasum vobis habentes, me, si eruditione plurimis cedam, fide et integritate cessurum nemini.

Vos denique, Academiae hujus alumni, ornatissimi commilitones, vos quum intueor, suavissima meum animum subit recordatio temporis quondam in hac Musarum palaestra in literarum studiis et amicitiae suavitatibus peracti, et grata simul spes mihi affulget, fore ut vestrâ consuetudine illa adole-

scentiae meae felicitas mihi jam renovetur. Non est quod vos moneam, quam vim antiquitatis cognitio et classicorum scriptorum lectio habeat quantumque valeat ad ingenia ornanda, mores excolendos, omnem liberalium doctrinarum scientiam promovendam. Non est quod vos horter, ut gnaviter incumbatis in ea studia, e quibus Erasmi, Grotii, Boerhavii, Hemsterhusii et excellentissimi quique viri duxerunt et aluerunt illam ingenii et eruditionis facultatem, qua immortalem laudem apud aequales et posteros sunt adepti. Tantum vobis significatum volo, nihil mihi magis cordi futurum quam ut ad eruditissimorum collegarum, illius praesertim qui ipsas has literas profitetur, exemplum omni ope studiis vestris et commodis inserviam; nihil gratius quam ut vestra assiduitas et humanitas, reliquis spectatae doctoribus, meum quoque laborem levent et industriam stimulent: sic honesta aemulatione inter nos concertemus ad promovendas humanitatis artes, tuendam patriae salutem, augendumque decus Academiae Rheno-Trajectinae.

















